Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

locum ubi scriptum erat: Wilfridus deo amabilis episcopus eboracae civitatis, apostolicam sedem de sua causa appellans, et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et cetera quae supra posuimus. Quod ubi lectum est, stupor apprehendit audientes, et silente lectore ceperunt alterutrum requirere quis esset ille Wilfridus episcopus. Tunc Bonifacius apostolici papae et alii perplures qui eum temporibus Agathonis papae ibi viderunt, dicebant ipsum esse episcopum, qui nuper Romam accusatus fuerat a suis, atque ab apostolica sede iudicandus advenerat: qui iam dudum, inquiunt, aeque accusatus huc adveniens, mox audita ac diiudicata causa et controversia utriusque partis, a beatae memoriae papa Agathone probatus est contra fas a suo episcopatu repulsus, et tanti apud eum habitus est, ut ipsum in concilio quod congregarat episcoporum quasi virum incorruptae fidei et animi probi residere praeciperet. Quibus auditis dicebant omnes una cum ipso pontifice: virum tantae auctoritatis, qui per xl. prope annos episcopatu fungebatur, nequaquam damnari debere, sed ad integrum culpis accusationum absolutum patriam cum honore reverti.

Qui cum Brittaniam remeans in Galliarum partes devenisset, tactus est infirmitate repentina, et ea crescente adeo pressus ut neque equo vehi posset, sed manibus ministrorum portabatur in grabatto. Et sic delatus in Meldum civitatem Galliae quatuor diebus ac noctibus quasi mortuus iacebat, halitu tantum pertenui quod viveret demonstrans. Cumque ita sine cibo et potu, sine voce et auditu quadriduo perseveraret, quinta demum illucescente die quasi de gravi expergefactus somno exsurgens resedit: apertisque oculis vidit circa se choros psallentium simul et flentium fratrum, ac modicum suspirans interrogavit ubi esset Acca presbyter. Qui statim vocatus intravit, et videns eum melius habentem ac loqui iam valentem, flexis genibus gratias egit deo cum omnibus qui aderant fratribus. Et cum parum consedissent ac de supernis iudiciis trepidi aliqua confabulari cepissent, iussit pontifex ceteros ad horam egredi, et ad Accan presbyterum ita loqui exorsus est: Visio mihi modo tremenda apparuit, quam te audire ac silentio tegere volo, donec sciam quid de me fieri velit deus. Astitit autem mihi quidam candido praeclarus habitu, dicens se Michahelem esse archangelum, et ob hoc, inquit, missus sum ut te a morte revocem. Donavit autem tibi dominus vitam per orationes ac lacrimas discipulorum et fratrum tuorum, et per intercessionem beatae suae genitricis semperque virginis Mariae. Quapropter dico tibi quia modo quidem ab infirmitate hac sanaberis. Sed paratus esto quia post quadriennium revertens visitabo te. Patriam vero perveniens maxima possessionum tuarum quae tibi ablatae sunt portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis. Convaluit autem episcopus cunctis gaudentibus ac deo gratias agentibus, coeptoque itinere Brittaniam venit. Lectis autem epistolis quas ab apostolico papa advexerat, Berechtwald archiepiscopus et Edylred quondam rex, tunc autem abbas, libentissime favebant. Qui videlicet Edylred accitum ad se Coenredum, quem pro se regem fecerat, amicum episcopo fieri petiit et impetravit. Sed Aldfrid Nordanhymbrorum rex eum suscipere contempsit. Nec longo tempore superfuit. Unde factum est ut regnante Osredo filio eius mox synodo facta iuxta fluvium Nido, post aliquantum utriusque partis conflictum, tandem cunctis faventibus in praesulatum sit suae receptus ecclesiae. Sicque quatuor annis, id est usque ad diem obitus sui, vitam duxit in pace. Defunctus autem est in monasterio quod habebat in provincia Undalum sub regimine Cuthbaldi abbatis, et ministerio fratrum perlatus in primum suum monasterium quod vocatur in Hrypum, et positus est in ecclesia beati apostoli Petri iuxta altare ad austrum, ut supra docuimus, et hoc de illo supra epitaphium scriptum.

Vilfridus hic magnus requiescit corpore praesul. Hanc domino qui aulam ductus pietatis amore fecit et eximio sacravit nomine Petri. Cui claves caeli Christus dedit arbiter orbis. Atque auro ac tyrio devotus vestiit ostro. Quin etiam sublime crucis radiante metallo hic posuit tropheum, necnon et quatuor auro. Paschalis qui etiam sollempnia tempus cursus. Catholici ad iustum correxit dogma canonis. Quem statuere patres dubioque errore remoto. Certa suae genti ostendit moderamina ritus. Inque locis istis monachorum examina crebra colligit ac monitis cavit quae regula patrum sedulus instruxit. Multisque domique forisque tractatus nimium per tempora longa periclis. Quindecies ternos postquam egit episcopus annos, transiit et gaudens caelestia regna petivit. Dona Iesu ut grex pastoris callem sequatur.